

**05**

**A**

**1511**





XX.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO PHYSICA

*QVA*

MAGIAM

DOEMONIACAM

CEU ILLICITAM, & NATURALEM CEULI-

CITAM,

*IN ELECTORALI AD ALBIM*

*ACADEMIA*

*EXPLICABUNT*

*PRÆSES*

M. LAURENTIUS BUGGES,

Neo-Sedin. Pomer.

*Respondens*

SAMUEL PORATH, FREIEN-

VVALD. Pom.

*Ad D. Septemb. Anno 1667.*

*Horis & Loco consvetis.*



WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS HAKEN,  
M. DC. LXVII.

20



VIRO

*Generoso, Magnifico, Nobilissimo atq; Amplissimo,*  
Dn. CHRISTOPHORO à VVEDEL, Sereniss. ac  
Potentiss. ELECTORIS BRANDENB: Provinciae Pomer: Consili-  
ario præminentissimo, in Freyenwald  
& Uchtenhagen &c Hereditario.

*Ejusq; respectivè Filiis:*

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, maximeq; strenuis*  
Dn. CHRISTOPHORO CASPARO à VVEDEL,  
in Uchtenhagen &c. Hereditario.

Dn. BOGISLAVO à VVEDEL, Sereniss. ELECT:  
BRANDENB: CAPITANEO quondam eminentissimo, in Brauns-  
forth &c. Hereditario.

Dn. MELCHIORI à VVEDEL, Sereniss. ELECT:  
BRANDENB. CAPITANEO quondam proximè Constituto longè  
meritissimo, in Steinhöffel &c Hereditario.

*Nec non*

VIRIS

*Amplissimo, Prudentissimis, Literatissimis, Spectatissimisq;*  
Dn. JOHAN: GREYER/inclytæ Sedinensium Rei-  
publ. Senatori gravissimo.


Dn. PETRO PAULO Schrödern/ Potentiss. Regis  
Succiæ Redituum Praefecto fidelissimo, nec non inter Cives Sedi-  
nens: facile primario

*Dnmmnis Patronis, Promotoribus, Fautoribus atq;  
Mæcenatibus suis, multis nominibus honorandis,  
Exercitium hoc Academicum in grati animi ob-  
ligationem suiq; Commendationem  
Officiosè inscribit & dedicat*

SAMUEL PORATH  
RESPONDENS



05 A 154



## FELICITER.

**M**irabiliter natura quandoq; ludit  
nostra adeò ut mox perfecta dicatur, im-  
perfecta salutetur interdum. Vulgò disse-  
rentem cur Magnes ferrum trahat, cur Pa-  
pyrus in Muséo pendula modò huc, modo  
illuc, rapiatur sine motore, deque his rati-  
ones dantem cum audit, statim obstupescit, & à naturâ opus  
perfectum Diabolo credit. Quò ipsò Eam imperfectam  
reddere, quam longius in rationes inquirere mavult. Per-  
fectam contrà exclamat illam, cum Unguentum Armarium  
Vulneratum per aliquot milliaria absentem, cum tamen dis-  
serens exactam nullam det rationem, sanare possit, hocque  
opus non à naturâ perfectum, adscribit naturæ. Et quid tergi-  
versatione opus? Dicam uti res est: Naturalem gubernare  
causam, quæ in probandis per aquam frigidam lamiis, super-  
natantes pronuntiet reas, submergentes exclamet innocen-  
tes, dicunt quandoque sapientes, quandoque insipientes,  
utrique errantes. Quippè Diabolo relinquenda erunt, quæ  
vulgò naturæ sapius dantur, & naturæ non erunt detrahen-  
da, quæ Diabolo ut cernimus semper, ascribuntur. De vir-  
gula Mercuriali disputantur multa, adeò ut quidam actio-  
nem ejus ad naturam seu ad qualitates occultas, quidam ad  
Diabolum referre velint. Utraque sententia suos habet  
defensores, Patronos; Posterior tamen Probatissimos, veris-  
simos, decidente enim B. Sperlingio: magis Ea ex pacto  
implicito cum Satanâ, quam ex naturâ agere videtur. Sci-  
licet si confusio mater Erroris sequi non debeat, distingui o-  
por-

portet Magiam Naturalem à Dæmoniacâ. Quod impræsenti-  
arum facere constituimus. Tu Rector utriusque nostro ad-  
esto Labori !

§. 1.

**P**resupponimus in genere; *Magiam esse habitum rerum  
abditarum scientia, operumque mirandorum arte constan-  
tem.* Ubi notum satis,

§. 2. Magiam non à Græco *μαγία* quod est discere  
proficisci, sed à Persico Vocabulo, quod nihil aliud signifi-  
cat quam Græcis σοφόν, Latinis Sapientem aut Philosophum.  
Fuerunt autem Magi Sacerdotes Medici, Physici Mathema-  
tici, unde in magno eos apud Persas fuisse aestimio constat, a-  
deò, ut docente Gellio l. 10. c. 9. *nemo ad imperii clavum penes  
Persicos fuerit elatus nisi prius Magica fuerit imbutus arte.* Su-  
mitur verò quandoque Latè pro ipsâ Philosophia seu studio  
rerum humanarum & divinarum. Unde Cælius Rhodiginus l.  
3. Antiq. lect. c. 42. dicit: *nihil Magiam fuisse aliud quam altior  
rem sanctioremque Philosophiam.* v. B. Meisnerus P. 2. Phil. Sob.  
Sect. 2. c. 2. quandoque strictè pro habitu rerum abditarum scien-  
tia operumque mirandorum arte constante, Observante Cl. Seybo-  
thio Systh. Phys. c. 12. de Mag. §. 1. Interim tamen & Rustici  
Magiam ad suam referre sciunt divinationem. Mox aliis  
ex Paulinæ diei constitutione annonæ caritatem, alius vili-  
tatem colligere tentabit. Ast magis ridicula, quam applau-  
sibilia plebs credula producere potest. Veteribus Germanis  
vocabantur ejusmodi Magi die Pfaffen/ hinc etiam reman-  
sit, ut in nonnullis cibis partes lautiores & Lectiores vocen-  
tur Pfaffen stückgen/ quia olim in Conviviis lautissima appo-  
nebantur illis uti Excell. Dn. Kirchm. in Colleg. nondum E-  
dito annotat Cläre.

§. 3. Definivit verò B. Sperlingius Præceptor Desidera-  
tissimus in Instit. Phys. l. 2. c. 4. Magiam non per *Artem* ut  
*Theophrastus Paracelsus*, ne Magiæ Theoreticæ, quæ hac ratio-  
ne expellitur inimicus esset; neque per *Scientiam* ut *Joh. Bapti-  
sta Porta* ne Regulam illam Logicam: Genus non sit angusti-  
cis sua

us suâ specie, iratam redderet sibi, sed per habitum non simplicem sed compositum seu mixtum ex scientiâ scilicet & arte constantem. Et ita non ingeniorum feritatem, sed rerum uti undique sectatus est veritatem.

§. 4. Hanc Magiam dividit in *Theoreticam & Practicam*. Illam nominat *rerum obscurarum & abditarum scientiam*. Qualem Anaxagoræ in siccitate etiam maxima pluviam prædicenti Plin. H. N. l. 18. c. 28. attribuit. Hanc cognitionis ad opera miranda esse applicationem, affirmat Idem. Secundum hanc fabricare docent specula Catoptrici, ad quorum aspectus aliquis capite asinino, vel canino, vel suillo, vel pedibus sursum elevatis, vultu in Terram projecto incedere, aliaque mira cernere videtur: quin & absque speculis in obscuro, cōclavi pendulam & luminosam imaginem quasi volitare non sine metu sentit, ut Joh. Bapt. Port. l. 17. Mag. nat. c. 8. & 9. luculenter declarat. Et sane talia videre qui optat, Electoralem adeat Dresdam, ubi pectus in mirandis saturabitur factis, moxque sapiens talia ibi adspiciens glaucoma sibi objectum esse putabit; De plebe libenter, cui quod insipiens sit fat est, tacebo v. Cl. Seyboth. in Pæd. p. 59.

§. 5. Sed properamus, ut ad scopum denique deveniamus, Utramque subdividentes: in *Naturalem & Dæmoniacam*. Hacque destructa eam adstruamus. Sit ergo de Dæmoniacâ.

## QUÆSTIO GENERALIS, Quousq; se Magia Dæmoniacâ, seu potentia Dæmonum circa res extendat naturales?

§. 1. Opposita juxta se posita elucescere magis norunt omnes qui Hospites atque Peregrinos se in Logicis profiteri

A 3

nolunt.

nolunt. Gratiā Lucis, recommendat quam maxime obscuritas noctis. Danus aut Svecus juxta Æthiopem collocatus eo candidior & amabilior, quo turpior apparebit Æthiops. Non itaque sine gratia Magiæ Naturalis, apposuit Dæmoniacam Excellentissimus Nolter. *Hæc est Privatio Habitus, quem in mancipiis suis suplere conatur Demon, & dispesci solet in tres classes nimirum in Divinatoriam, Prestigiatariam, & Effectariam.*

§. 2. *Divinatoriam nominant Rerum abditarum ope Demonis partam cognitionem.* Multa de Spiritibus dicuntur familiaribus, qui includi se crystallis, annulis, capsulis, aliisque rebus, ac ita se circumferri permittunt, ut homines multivariis scientiis, quas ingenium semper optat sibi præcox, sapienter mox dixissem fraudulenter, imbuere, multaque mira & occulta Hominibus insusurrare & revelare possint. Talem Spiritum Jacobus Jodoci de Rosa nomine habuit. Ille Annulum circumgestavit, in quo exorcismis colligatum putavit Dæmonem, quem singulis quinque diebus, ut minimum alloqui, & de rebus novis aliisque consulere coactus fuit v. Wierum l. 6. de præstig. Dæm. c. 2. *Horum Spirituum alios esse Saturninos, alios Joviales, alios Venereos, alios Mercuriales, eosque certo ritu esse colendos docet.* Crispetus l. 1. de Odio Sat. Disc. 12. Cum Ergo dentur ejusmodi Spiritus, uti multis probari potest Historiis, ita merito eos referimus ad Divinatoriam hancce Magiam.

§. 3. *Prestigiatariam admirandorum operum, sed apparentium auxilia Diaboli salutant productionem.* Illusiones ac deceptiones Diabolicas pro fundamento habet, hæc ipsa Magia, de quibus tacere quam parum loqui satius erit. Cupido multum habendi, semper vexat mortales, adeo, ut Thesaurarium etiam sibi eligant infernalem, qui post Longas in hac terra delusiones, illos denique in infernum, tanquam in damnatorum tabernaculum recipere possit. Ita refert Philippus Melancht. Homines decem Magdeburgi ruina turris oppressos esse, cum ad Thesauros, quos docuerat Satanus reperiendos, effoderent. Delrius l. 2. disq. Mag. q. 12. dicit:  
*Demo-*



*Demonem cuiusdam nobili Matrone Mosellana multa dedisse Numismata, quæ illa reposuerit in arca; Verum cum uti voluit, primum Equinum reperit Loco Numismatum. Et quid non de delusionibus Fausti pueri sciunt in Plateis? Scilicet per facile delusionibus istis potest mens credula capi. Trojani vix ex pugnati fuissent, nisi Equo (Ubi tamen natura, non diabolus eos vexabat,) credidissent fallaci. Et multæ Lamia non comburerentur, nimium si non crederent, magistro suo fallaci Sagaci, summas illis promittente divitias, quas tamen ostentim quærere coguntur. Uti constat Exemplo Zigeunorum. v. Peic de Incant. p 161.*

*§. 4. Effectoriam dicunt esse admirandorum operum realium auxilio Diaboli productionem. Hæc quam maxime habet pro fine incommodum mortalium. Quippe ita nos miseri Expositi sumus his in castris diaboli insidiis, ut ne quidem in somno tuti esse possimus. Ita non tutus esse poterat piissimus Hiob. Summa enim & maxima diaboli voluptas est, eludere miseros, & angere mortales. Quanta vero diaboli malitia & potentia, tanta DEI longanimitas atq; patientia, inquit Excellent. Dn. D. Pomar. Coll. Synop. disp. 13.*

*§. 5. Non autem mortuos resuscitare potest Dæmon. Multi aquæ submersi, alii aliter exanimati, alii ignibus injecti, & rogo impositi, alii in bello cæsi, post plures etiam dies revixisse leguntur. Quemadmodum de multis testatur Plinius l. 7. Hist. natur. cap. 52. Et Simonem Magum etiam suscitasse mortuos constat ex Clemente Rom. Et Egesippo l. 3. de Excidio Hierosol. c. 2. Sic etiam Enarchum mortuum, in vitam à Dæmonibus esse reductum testatur Plut l. 1. de Animâ. Verum non omnia quæ afferuntur sunt vera, sed multa fabulosa, mera diaboli præstigiæ, ac illusiones. Resuscitare mortuos est supra naturam, iam illa quæ sunt supra naturam miraculosa sunt, & à nullo ente finito & creato, ut est Dæmon perfici possunt; Interim tamen Dæmonem quandoque posse corpus verè mortuum auferre clanculum, & substituere aliud aereum, illudque movere instar viventis non negamus, sicuti abstulisse corpus legitur Romuli, Cleomedis, & aliorum. apud Liv.*

*Adducitur  
quid Dæmon non  
possit?*

Liv. l. i. Plut. in Romulo. Herod. l. 4. Quandoque Eum corpora verè mortua subintrare, eaque movere, & in illis, ac per illa imitari opera, ac gestus similes viventium, insimul, atq; affirmamus. Sicuti luculentum Exemplum Delrius l. 2. disq. Magic. q. 29. Sect. i. de Cornelio Agryppa narrat, quod ex eo totum refert, Schottus Phys. Cur. l. i. mirab. Ang. ac Dæmon. c. 36. §. 5. p. m. 177. Sicuti.

§. 6. *Neq; Dæmon homines in lupos feles, canes convertere aut alias species inter se permutare potest.* Refert August. l. 18. de Civ. DEI. c. 17. *extitisse suo tempore mulieres stabularias in Italia, que viatoribus caseum venenis infectum dederunt, quo caseo sumpto viatores in jumenta versi onera portaverunt.* Longum & mirabile Exemplum de Petro Bourgote & Michaele Verdung vid. ap. Johann. Wierum l. 6. de præstig. c. 11. quem si adire, non placet, adeas Schottum, ubi in corruptum illud videbis. Multa refert Plin. non tantum de Demarcho l. 10. c. 24. Sed & de Arcadibus l. 8 c. 22. quem vide. Olaus Magnus l. 18. c. 45. & 47. refert in Prussia Livonia, & Lithuania frequens esse, ut in festo Nativitatis Christi, sub noctem, statuto in Loco, homines maximà multitudine conveniant, & ibidem in Lupos convertantur, qui mox eadem nocte mirà feritate inanimalia & homines sevant, &c. Addit etiam de pariete aliquo, ex diruto quodam castello reliquo inter Samoghetiam, Lituoniam, & Curoviam ad quem certo anni tempore aliquot millia eorum, ut agilitatem suam saltando explorent, convenire dicuntur; modum conversionis denique addit, & testes oculatos, si habere velis audi illos ap. Bodinum l. 2. Dæmonol. c. 6. De Sociis Ulyssis Lycaone Ovidii hic tacebimus, cum magis fabulas Pœticas, quam veritatem sapere videantur. Minime etiam curamus Theophrastum Paracelsum transformationem hominis in lupos credentem, neque Casparum Peucerum, quem citat B. Sperling. in Instit. qui, non tam facile à veritate in falsitatem proclivis esse debebat. Dominantur quidem ad tempus Exempla, ast, ad veniente ratione cedere coguntur. Nulla anima inquam à corpore separata alienum, & specie distinctum, invadere potest corpus. Si igitur velit unam  
Spe-

Speciem in alteram transmutare formam, aliam materiam  
Specie distinctam introducat oportet, at hoc non potest, da-  
tur, enim semper, proportio inter materiam & formam, non  
enim quaelibet forma potest quamlibet informare materiam,  
sed eam tantum quæ est proportionata. Sic forma Leonis  
obtinet corpus Leoninum, Canis Caninum &c. Sicuti habet  
Excell. Prof. Kirchn. in Colleg. Phys. olim habito. Accedit  
quod hæc transmutatio l. sit præstigiatoria l. merè frivolis  
nitatur experientiis v. Sperl. In Antropol. passim &c. ascri-  
bamus E. unicum Exemplum, in quo merus fuit Lusus, ut ex  
eo cætera judicari queant. Schottus l. c. sumpsit illud ex  
Majolo, alias illud habet Georgius Sabinus in l. 7. Metamorph.  
Ovid. ex quo illud rursus mutuavit. Cl. Seybothius System.  
Phys. c. 12. de Mag. p. m. 293. Nempe apud Boruffos talis  
nuper fuit captus, & Duci Boruffiæ adductus à Rusticis. *Erat  
homo deformis, nec multum absimilis feræ, habebatq. vulnera in  
facie, quæ dicebatur accepisse morsus à canibus, ubi fuisset mutatus  
in Lupum. Is à quibusdam, quibus Princeps id negotii dederat,  
interrogatus aiebat, se quotannis bis ita mutari solitum, primò cir-  
ca natalem Christi, deinde circa festum Johannis Baptista, illis que  
temporibus effærari, & cogi impetu quodam natura versari in Sylvis  
inter Lupos. Maximo autem horrore & langvore corporis se af-  
fici antequam pili erumpant & forma mutetur. Hæc Affirmanti  
credita sunt. Sed cum ad explorandam rei Veritatem diu captus  
in arce teneretur, ac diligenter à custodibus carceris observaretur,  
an aliquando fieret Lupus, retinuit semper eandem formam quam  
habuit. Is exitus fabula fuit. Scilicet ita se res habet, transmu-  
tare species, potentiam sapit infinitam, quæ unice competit  
DEO, Qui ex aquâ Vinum, ex Baculo Serpentes &c. pro-  
ducere potest. At Dæmon non item vinctus enim & alliga-  
tus est potentia & gubernationi divinæ. Quod melius The-  
ologi quam Physici norunt.*

§. 7. *Neg. verè generare potest. Licet multa clara ingenia  
Diabolo vim generativam attribuant, quæ apud Schottum  
cit. l. vide; attamen in eam sententiam ire non possumus, quæ*

B

Dæmo-

Dæmonem generare posse statuit. Forma informans ad tale requiritur opus, at Dæmon tantummodo assistens est, quæ se non aliter habet quam auriga ad regendum currum. Quinimo essentialiter Spiritus & immaterialis substantia est, Corpus autem istud assumptum Phantasticum & in Animatum est, penitusque ad generationem inhabile, Conf. Doct. Pom. l. c.

*Adducitur  
quid pos-  
sit?*

§. 8. Sed Effectus necessariò futuros, quales sunt tempestates &c. callidissime præscire de Contingentibus astutissime conjicere, externa ad unguem scire & incredibiles alios effectus edere potest partim Veros partim apparentes v. Excell. Kirchn.

§. 9. Dæmonem posse facere tempestates permittente DEO, concedit Wierus l. 3. de præstyg. Dæm. c. 16. Lappos atq; Finnos tres nodos magica arte consecratos, olim mercatoribus vendidisse, quorum primo soluto placidos ventos, secundo vebementiores, tertio vebementissimos essent habituri tradit Olauus Magn9 l. 3. c. 16. ascribam verba Cl. Seybothii ita discurrentis; non videtur præter omnem fidem esse, quod de Lappis & Finnis memoratur, qui ventos secundos prætio vendunt nautis. Quorum in obsequio cum sint Dæmones (maxima enim est in Septentrionalibus Idolomania) cur non ipsi acrem à puppi impellant, ut homines in superstitione dementatos magis confirmet. Prævidentes enim & signis prænotantes Dæmones, quid possit natura aut suis ipsorum viribus geri, interpellant Magos ad pares ineptias, ut hæc illave parent, ubi succedit eventus, de suo artificio hi gloriantur, seque suis verbis, & herbis, fecisse opinantur. Et quid multis? Quicquid Deus permittit Dæmonibus, illud invidere ipsis non possumus, non debemus. Habeant enim sibi potestatem talem, qualem nos exoptare ducimus esse nefas.

§. 10. Damnanda Ergò Magia Dæmoniaca est in qua verba Characteres, demurmurationes, meræ sunt superstitiones atque delusiones. Figmentum est quando dicitur quod Lojola Pater & Author Jesuitarum versum quendam Virgilianum recitaverit, Quò fœminam diabolo obsessam liberasse dicitur. Lusus tantum est qui facile credit, facile decipitur. Quan-

Quantitatis enim nullâ vis, ~~nulla~~ Efficacia, per se scilicet, interim hominum superstitio facit, ut, quod per se nihil potest, diaboli versutia videatur aliquid efficere, & ita per Accidens iuquit Clar. Nassius Præceptor Honorandus Log. Elect. l. 1. c. 4. p. m. 78.

§. 11. Damnandi etiam Spiritus illi sunt, quos vocant familiares: Hoc enim dictu & auditu inter eruditos durum est, quod sepositis mediis legitimis Labore & oratione, illegitimos quibus in momento summa quævis assequi possunt, assumant, & magis se Diabolo, ut olim Jesuitæ quos Dæmoni in India excepit, & filios suos vocavit, quam DEO, à quo tamen ultima salus, mancipare atque offerre velint. Ast tristissimam solet Tragedia hæc sortiri catastrophem. Bona enim ostendit, mala intendit pessimus Dæmon, vid. Hasenmüll. in Ord. Hist. Jesuit. c. 11. p. 427.

## Ita damnatis damnandis, adstruimus de Magiâ naturali adstruenda.

§. 1. Hæc est habitus ex libro naturæ crebris actionibus comparatus. Vide Excell. D. Pomarium Collegio Synopt. disput. 13. posit. 2. Est habitus non infusus, neque conatus, sed comparatus, ad quem *φύσις ἀσκήσις καὶ μάθησις* requiruntur statim. Hoc in habitu, quo nihil altius, aut plausibilibus dari potest, delicias ponit natura humana. Si quod nobilius, aut miraculo proximius in naturalibus scientiis aut excogitari potest, id reconditoris literaturæ Viri scientissimi Magiam dixerunt, inquit Johann. Baptista Port. lib. 1. c. 2.

§. 2. Divisionem, quâ dividitur in Theoreticam & Practicam adduximus supra, ideoque missâ theoreticâ unicum hîc vel alterum ad practicam adjiciemus exemplum. Miramur sanè pegmata illa Romanorum in Theatris per se surgentia, & tabulata tacitè in sublimi crescentia, de quibus prolixè Plinius lib. 37. c. 15, & exactissimè Justus Lipsius de Amphi-

Amphitheatro c. 10. & seq. differunt. Miramur Julium Cæsarem Scaligerum exercitatione 316. scribentem: *Se naviculã spontè mobilem, ac sui remigii autorem facturum esse nullo negotio.* Quod ipsum ut tanto viro credamus, movere nos potest Currus Veliferus, Tertii Principis Mauritii Nassovii, qui duabus horis Schevelina Pettemum ad quatuordecim millia Hollandica, quæ singula justæ horæ iter excedunt, magis volitavit quam cucurrit. Unde Hugo Grotius admirandam ejus celeritatem satis eleganti depingit Epigrammate:

*Phœbe quid attonitus nos aspicias? aspice vero?  
Hoc curru poteras accelerare diem.*

Videatur desideratissimus noster Physicus disputatione priori de Magiã naturali paragraph. 12. Miramur Aquilam illam Noribergensium à Johanne Regiomontano fabrefactam, quæ Cæsarem ab alto salutavit. Vide Alstedium libr. 4. Encyclop. c. 8. Sed quid foras miramur, quæ domi mirari possumus? tria sanè sunt, quibus tota Antiquitas nil par habuit, inquit Beatus Sperlingius adducto teste Cardano in Institut. pag. m. 319. typographia, Bombardarum inventio, pyxis nautica. De quibus sera sibi gratulatura est semper posteritas. Et rectissimè Excell. Dominus Professor Ziegra Præceptor semper honorandus cum suo Dn. Respondente Disp. de Magia §. 13. Homines si mirari velint Dresdam ubi *τεχνιαθοροποιον* est vulgò die Kunstammer ablegarunt.

§. 3. Tota verò Magia naturalis, quamobrem etiam maximè expetenda, proximum finem habet, exactiorem mundi, contemplationem; ultimum, gloriam DEI, quam etiam nos hisce tribuimus IPSI

TANTUM.



05 A 15M

ULB Halle 3  
003 778 541




15M









Q. D. B. V.  
DISPUTATIO PHYSICA  
*QVA*  
MAGIAM  
DOEMONIACAM  
CEU ILLICITAM, & NA-  
TURALEM CEULI-  
CITAM,

IN ELECTORALI AD ALBIM  
ACADEMIA  
EXPLICABUNT  
PRÆSES

M. LAURENTIUS BUGGES,  
Neo-Sedin. Pomer.

*Respondens*

SAMUEL PORATH, FREIEN-  
VVALD. Pom.

*Ad D. Septemb. Anno 1667.*

Horis & Loco consvetis.



WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS HAKEN,  
M. DC. LXVII.